Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

hunc montem Ritten tunc temporis ibatur via regia) pransurus esset; quædam mulier habens vultum tumidum et lividum accessit ad ministrum Pontificis, qui ei abluendis manibus aquam præparabat, supplicans, ut post ablutionem manuum Episcopi eandem aquam sibi porrigeret. Ille vero indignando repulit eam, mulier vero fidem non fictam et spem firmam habens in Domino, et in meritis Beati Viri, a longe stabat expectans: et cum post ablutionem manuum Episcopi minister ille aquam projicere vellet, illa parata erat cum vase suo, et eam recepit. Sed cum Episcopus ad Comites prædictos pervenisset, et cum omni humilitate pacem ab utraque parte postularet; Tirolenses ad preces Episcopi pacem dare et recipere parati erant; Comites vero de Eppan nullo modo poterant (induci), ut in facienda pace Beati Viri precibus acquiescerent, quia tunc majores vires habere videbantur. Propterea ad ultionem istius contemptus Divino Judicio factum est, ut ex eo tempore in bello illo semper inferiores existerent, qui antea superiores esse consueverant: nec priores vires resumere poterant, quas justo judicio perdiderant. Cum autem in reditu suo Beatus Pontifex iterum esset in Adano (l. Ridano) in eodem loco, in quo prius fuerat, videlicet apud Lengenscome (l. Lengenmose); prædicta mulier accessit ad ministrum, cujus superius mentionem fecimus, dicens ei: Quid vestræ utilitati deperiit in hoc, quod per ablutionem illius aquæ, quam mihi negastis, cæleste beneficium sensi, et sanitatem recuperavi? etc.

183) Adelzreiter Annal. Boic. p. I, l. 22, ex Chron. Slav., Arnoldo Lubec., Anonymo Weingartensi, etc. Brunner Annal. Boic. l. 13 ad an. 1172. Ad annum 1171 refert Falkensteinius (Hist. Bav. p. II, f. 410.) diploma ~~illud~~, quo Henricus Jerosolymis tres lampades in templo Resurrectionis fundavit.

184) ~~Otto de S. Blasio~~ ~~Arnoldus Lubecensis [illegible]~~ ~~Struvium Corp. Hist. Germ., addens: cumque Dux adhuc~~ Brunner Annal. Boic. l. 13, ex Cont. Urspergensi, Ottone de S. Blasio, Alberto Stadensi, Arnoldo Lubecensi, et Chronico Weingartensi. Adelzreiter Annal. Boic. ~~l.~~ p. I, l. 22. Burglehner Aq. Tirol. l. 13, c. 3: ~~Causas, ob quas Henricus se bello subduxerit, varias assignant Scriptores. I, Consilium Jordani Druchsessii. Burglehner~~ als der Kayser vor Mayllandt gelegen, ist Heinrich durch ainen auss ~~sein~~ seinen gehaimben Räthen Jordan Trugsessen, so von den Gwelschen mit gelt bestochen vnd eingenomen war, / huic

182*) Fuerat is Præpositus Claustri Neoburgensis ad Danubium in Austria. Inde ad Brixinensem Cathedram, Reinberto defuncto, postulatus erat. Interfuit Comitiis Ratisbonensibus anno 1156. Cum XXIII annos sanctissime gubernasset Ecclesiam Brixinensem: anno 1165 proxima die ante Vigiliam Nativitatis Domini, cum confessionem peccatorum suorum sicut semper solebat, cum magna contritione fecisset, et in multa patientia flagellatus fuisset; Missarum solemnia devote celebravit, et balneum aquarum, quo tamen nonnisi pro necessitate infirmitatis uti consueverat, sibi præparari fecit. -- Ergo ante diem festum, cum appropinquasset hora ejus, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem; de aquis illis calidis vocatus a Domino, plenus virtutibus obdormivit in pace. Anonymus Claustroneoburgensis in vita B. Hartmanni. Vide etiam Burglehner I. I, l. 16, c. 3. ubi additur Successor: Otto Graf von Andechs ein Brueder Graf Berchtolden, als er fünf Jar lang Bischof gewesen, hater das Bistumb hernach resigniert.